



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses**

In Qvibus Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

**Stapleton, Thomas**

**Lvgdvni, 1595**

14. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bonæ voluntatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39463**

## IN LVCÆ CAP. II.

14. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bonæ voluntatis.*

**I**ncarnationis Dominicæ quasi finem & scopum hic cantus Angelicus tribus verbis exprimit. *Incar-natio-nis Domi-nica finis.* Primum est *Dei gloria*, ad quam omnia diriguntur. Secundum est, *pax in terra*, non temporalis, sed spiritualis & fœlicissima, inter homines videlicet & Deum: facta reconciliatione humani generis cum Deo, & illa animorum pace constituta, quam Christus ex mundo abiturus suis dedit, dicens: *Pacem meam do vobis*, &c. Tertium exponit, quibus hæc pax per Christum conferenda sit. Nempe nõ omnibus hominibus, nec credentibus tantum, sed *hominibus bonæ voluntatis*, rectis & simplicibus, quales isti pastores erant. Bona autem voluntas sola ponitur, vnde quis rectus & bonus dicatur, quia voluntas cæteras potentias mouet ad operandum, & principium actuum ac proximum totius boni operis est bona voluntas. *Ioan. 16.*

Displicet hæc Euangelica doctrina hæreticis nostri temporis, idèoque hanc lectionem nostram ab Erasmo admoniti vitiosam & corruptam esse clamitant. In Græco quippe, non in genitiuo, sed in nominatiuo legitur illa vox quam noster interpres vertit, bonæ voluntatis: *ἀγαθῆς*. Sed & ipsam vocem Græcam negant prorsus authore Erasmo significare in Scripturis bonam voluntatem in homine, sed vel ipsum Dei beneplacitum erga homines, vel certè mutuam quandam inter homines amicitiam, idque rarissimè. Sed non omnia vidit Erasmus, quem hoc in loco infœliciter iterum sequutus est Cornelius Iansenius; disertè affirmans hanc vocem nunquam tribui hominibus respectu Dei. Nam ad Philip. cap. i. vbi legimus, *Quidam propter bonam voluntatem Christum prædicant* (quæ haud dubiè bona voluntas fuit respectu Dei, & propter honorem Dei) Græcè est *ἀγαθῆς*; & ad Rom. 10. vbi Paulus dicit, *Voluntas quidem cordis mei, & obsecratio pro illis fit ad Deum*, vbi de sua bona voluntate puraque erga Iudæos charitate, non amicitia humana, loquitur, Græcè est *ἀγαθῆς* *καρδίας ἐμῆς*. Falluntur ergo qui Etasium sequuti vocem Græcam hoc loco non bonam in homine voluntatem, sed Dei tantum erga homines beneplacitum, significare volunt. Exclamat quidem hoc loco Calvinus & dicit. *Vnde Erasmus*

*Bona voluntas hoc loco qua.*

*Erasmus*



Calvinum  
Beza cor-  
rigit.

etiam sit ut obreperet genitiuus casus nescio. Certè lectio vulgata qua habet, Hominibus bona voluntatis, non modo tanquam adulterina repudiari debet, sed etiam quia totum sensum corrumpit. Sed contra Calvinum Beza ipse sic scribit. Ad quod attinet, quãuis in omnibus exemplaribus Græcis legerim *διδόναι* in nominatiuo, & ita sim interpretatus, tamen Origenis, Chrysostomi, veteris interpretis auctoritatem, ipsam demque rationem sequutus, non recusam legere *διδόναι* in genitiuo & totam hanc orationem in duo membra partiri; hoc modo. Gloria in caelis altissimis Deo, & in terra pax in hominibus dilectis vel complacitis. Hæc ille, exponens verbum *διδόναι* de bona voluntate & beneplacito Dei erga homines; non de bona voluntate in ipsis hominibus. Ceterum Græci illi Patres à Beza citati, Origenes homil. 13. in Lucam, & Chrysostomus homil. 36. in Matth. in serm. de ascensione Domini, & homil. de natiuitate Domini, quibus adde eundem Origenes homil. 1. in Matth. & contra Cellum lib. 1. & eundem Chrysostomus homil. 2. in Matth. operis imperfecti, & homil. 35. de natiuitate Christi, D. quoque Hieronymum in cap. 2. Esaiæ, & Augustinum ad Simplic. lib. 1. q. 2. non solum in genitiuo legunt sicut noster textus habet, sed præterea de bona voluntate in hominibus exponunt, docentes pacem quam Christus attulit, non nisi in bonæ voluntatis hominibus residere, quia ista bona voluntas in credentibus effectus est pacis quam Christus attulit. Sanè in genitiuo casu omnes veteres Latini Patres conformiter hæc verba legunt, quoties hunc locum tractant, & ipsemet fateatur Beza. Non igitur lectio vulgata, sed impudenter Calvinus aliique nouatores totum huius loci sensum corruperunt.

37. Non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens die ac nocte.

Ieiunium  
ad Dei cultum pertinet.

Docet hic locus ad Dei cultum ieiunia pertinere non solum, sed etiam obsecrationes, quum de utroque dicatur Anna vidua Deo seruuisse, id est, Deum coluisse. Vtitur enim Lucas verbo *κἀσποβου*, vnde latia, quæ cultum supremum Deo proprium significat. Non tulit huius loci doctrinam Calvinus, ideòque eius puritatem suo fermento contaminare voluit. Superest (inquit) scrupulus, quòd videtur Lucas partem diuini cultus in ieiunijs statuere. Sed notandum est, quod in operibus, quæ ad Dei cultum spectant, alia simpliciter requiruntur.